

Dissertationum Theologicarum, Quæ Celeberrimi Theologi D. Justi Christophori Schomeri Collegium Anti-Calvinianum, a multis avide desideratum : exhibent ...

**Prima : Cap. I. Prooemiale, Cap. II De Principio Theologiæ, Et Cap. III. De Deo ... :
d. 15. Maji. Anno 1706**


Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, 1706


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1032789212>

Band (Druck) Freier  Zugang



RU theol. 15.Maj.1706
Engelcken, Henr. Asc.





29.
316.
52

I. N. J.

DISSERTATIONUM THEOLOGICARUM,

Quæ

Celeberrimi Theologi

D. JUSTI CHRISTOPHORI SCHOMERI

COLLEGIUM
ANTI-CALVINIANUM,

a multis avide desideratum, exhibent,

PRIMA,

Sistens

CAP. I. PROOEMIALE,

CAP. II. DE PRINCIPIO THEOLOGICÆ,

ET CAP. III. DE DEO,

Quam

CONSENSU SUMME REV. FACULTATIS THEOL.

PRÆSIDE

DN. HENRICO ASCANIO

PROFESSORI

Phil. & SS. Theol. D. hujusque P.P.

d. 15. Maji. Anno 1706. H. L. Q. C.

publicæ disquisitioni proponit

RESPONDENS

JACOB. MATTHÆI Gedan. Borussus,
SS. Theol. Stud.



ROSTOCHI, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampl. Sen, Typogr.

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

VIRO
Illustri atque Consultissimo
**DN. HENRICO RUDOL-
PHO REDEKER,**
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
**DNI. FRIDERICI WIL-
HELMI**
DUCIS REGENTIS MECLENBURGICI
Consiliario aulico, Hæreditario in **Botrâmbß**
Scharßdorff &c.
MÆCENATI SUO COLENDISSIMO

Hoc quæcunqve specimen Theologicum in ulteriorem sui stu-
diorumqve suorum commendationem cum annexo
omnigenæ prosperitatis voto.


facrum vult

Respondens.

217

JESU JUVA! COLLEGII ANTI-CAL- VINIANI CAPUT I. PROOEMIALE.

QVÆSTIO I.



N Calviniani distinctam à nobis sectam consti-
tuant, an vero Lutheranis aut Aug. Confessionis
Sociis debeant annumerari? Resp. aff. prius, neg.
posterius; Quia (1) illorum peculiaris & di-
versa est origo cum Zvinglius eodem ferè tem-
pore in Helvetiâ reformationem orsus sit,
qvo Lutherus in Saxonîâ, ita ut ejus asseclæ
etiam de prioritate temporis certare au-
deant. vid. Hottingerus in hist. eccles. sec. XVI. (2)

*Nulla cum nostratibus unquam talis fuit communicatio, ut discipulos No-
stris informandos mitterent, aut à nostris informatos, absque illorum
retractatione acciperent & ecclesiis præponerent. (3) Nulla un-
quam vera & firma cum Lutbero concordia fuit, à qvo usque ad
obitum constanter rejecti & damnati sunt. (4) Diversa & peculiaris in
Augustanis Comitibus exhibita confessio est, teste Sleidano & Chytrao.
(5) Tanta à nostrâ A. C. dissensio est, ut illorum gratiâ eadem à
Philippo periculose variata sit. (6) Per Formulam Concordiæ à no-
bis receptam vel probatam, illis maximoperè invisam (teste Ho-
spiniano in Concordiâ discorde, cui Hutterus opposuit Concordiam concor-
dem) plena à nobis distinctio facta.*

*Contra Calviniani plures, præcipuè Galliæ & Germaniæ, hoc
& superiori seculo Aug. confessionis nomini includi, nec à no-
bis distinctâ appellatione discerni voluerunt; videantur imprimis
acta conventus Naumburgici 1561, Georgius Pauli in reformato Augusta-
no, & alii; & de nomine Lutheranorum nuperrimè etiam Joh.
Dallaus de cultibus Latinorum p. 643.*

*Interesse illorum fuit (1) fama Lutberi nobilior, sub cujus nomine
majorem sibi applausum sperabant; (2) Securitas politica, in Gal-
liâ quidem, ut auctoritate Electoris Saxonîæ & Smalcaldici fœderis,
qui & Rex Galliæ studebat, benigniora fata experirentur, exules verò*

A

&

2
& afflicti domi, in Germaniâ subsidium invēnirēt; in Germaniâ autem, ut pace publicâ, ante pacem Osnabrugensem, (an. 1648. d. 24. Octob. initam) non nisi *Augustana confessionis sociis data, comprehensis* intelligerentur, adeoque tutiores viverent, *vid. Cancellaria Anhaltinadetecta: Interesse Nostrum; ne sub nomine nostro ecclesiis imponatur, errorq; latius serpat.*

Obj. I. Lutherum à Zwinglio in Colloquio Marpurgensi non nisi in uno articulo de S. Cœnâ diffensisse, & eundem quoq; ante obitum retractasse. Resp. (1) Si Zwinglius omnes articulos præter istum unum Lutherus concessit, & in illo unico bonam spem præ se tulit, ut Lutherus testatur in Confessione de sacrâ cœnâ, non tamen in concessione illâ stetit, in quâ igitur subdolè videtur egisse, ut propter libellum ejus paulo ante obitum scriptum, quæ Christiana fidei expositio dicitur, queritur idem Lutherus T. VIII. Jenens. f. 174. (2) Diffensio de S. Cœnâ; ut in seipsa magna est, ita plurimum controversiarum, inprimis de personâ Christi, fœcunda mater suit, ad quam cum deinceps accederet acrior absoluti decreti propugnatio, ex his duobus fontibus tota Calvinismi compages nata est. (3) Lutherum ante mortem artic. de S. Cœnâ retractasse, vel potius nimium in eâ disputatione fervorem agnovisse, apocrypha narratio est. Aliud præ se tulit Lutherus in scriptis paulo ante mortem imo proximo ante illam mense editis, in postrema de Cœna Domini confessione, in articulis Lovaniensibus n. 27, & literis ad Jacobum Præpositum Bremensem.

Obj. II. Philippum Melancthonem, qui Aug. Confessionis auctor est, suâ manu eandem variasse, & Calvinianos pro consortibus fidei agnovisse, teste variâ epistolârum eius; Sæca, generiq; Peuceri & aliorum discipulorum in eam partem studiis. Resp. (1) Philippum post Lutheri obitum nutasse, & cum se publicè orthodoxum simularet, etiam cum Calvinianâ factione conspirasse, tandem etiam consensum suum apertius prodidisse, agnoscimus, sed & eo ipso rejicimus, nec amplius pro Nostro habemus. (2) Augustana Confessio non Philippi, sed communi nostrarum ecclesiarum nomine, edita erat, quam propterea absq; crimine falsi immutare postea non potuit. Neq; enim ecclesiæ nostræ in hanc variatam consenserant, ut in primum ἀυτόγεγον.

Obj. III. Articulos Aug. Confessionis cum doctrinâ Calvinianorum non pugnare. Resp. Contrarium dudum docuerunt Nostrates; nam 2.5. & 9. articulis de efficaciâ verbi & Sacramentorum haud candidè

dē assentiuntur, X. de S. Cēnā planē contrariū sunt, XI^{mo} de confessione privatā ipsā praxi damnant, à XII^{mo} abeunt, cum partes pēnitentiæ alias enumerant, nō mortificationem & vivificationem, & cum Anabaptistis semel justificatos Sp. Sanctum amittere posse negant, XIX^{no} etiam de causā peccati pleriq; adversantur.

Quæst. II. Revertuntur Calviniani an Reformati appellantur? Resp. affirm. quia (1) Calvinus, etsi Zwinglio & aliis Doctoribus posterior, maximi tamen inter suos nominis, systema religionis plenum ipsis prævit, ita ut Massonius p. 1. anatom. c. 8. & 40. ejus institutiones inter publicā ecclesiæ suæ scripta referat, errorisq; prædestinationis, qui alter controversiarum Calvinianarum fons est, præcipuus auctor extitit. (2) A præceptoribus rectè nominari discipulos ipsæ S. literæ suo exemplo nos docent, cum Sadducæos à Sadoco dictos Matt. 22, 23, Nicolaitas Apoc. 2, 6. nominat; item Epicuræos Act. 17, 18. (3) Ipse Calvinus suos discipulos hoc nomine insignit, volumine tract. theolog. f. 84. Neg. posterius; quia (1) Calviniani suis erroribus ecclesiam potius deformarunt, quam reformarunt. (2) Si maximè respectu ejus boni, quod præstiterunt, Reformati dicendi sunt, nomen illud tamen ipsis negat à Χρησ non competit, cum non minus Lutherus & ejus socii, ecclesiam a papalibus erroribus reformarint. (3) Etiam Spanhemius p. 1. Syntagm. Theol. p. 320. agnoscit, nomen hoc nō esse sibi suisque particulare, nec rectè discretivum.

Contra Calviniani communiter omnes, teste experientiā, nomen Reformatorum sibi solis vindicant, quo ab aliis discerni volunt, nomen verò Calvinianorum admodum refugiunt. Vid. Massonius P. IV. anat. c. 41, ita, ut in tit. institutionum Calvini Germanicè versarum Herborne MDLXXXVI dicatur: ipsum diabolus istam doctrinam hodiè vocare Calvinianam.

Interesse illorum est, ut (a) ipso nomine se nobis puriores esse præferant. (b) A nobis quam minimè distingvantur. (c) Contemptum sui apud Pontificios, nomen à præceptore desumptum pro argumento hæreseos venditantes, aliisque nominibus minus honorificis, ut Hugonottarum in Galliā, Geusorum in Belgio eos appellantes, effugiant. Nostrum; ne vanam gloriam sibi largiamur, & ut sectarios eos à nobis distingvamus.

Obj. I. Nomina à nudis hominibus desumpta esse schismatica, quæ Paulo displiceant, utpote quibus videatur homo pro magistro

4
fidei assumi, 1 Cor. 1. v. 10, 11, 12, c. 3, 3, 13. Resp. (1) Non denominationem ab hominibus simpliciter, sed eam, quæ in diversa studia parvum abit, damnat Paulus, tanquam schismaticam, quippe qui, ut nos nominis Pauli pudeat, non vult, 1 Tim. 1, 8. (2) Etsi indignum est, ut studiis in præceptores concordēs & idem sentientes directis schisma fiat; non tamen indignum est, ut à divisis inter se, & diversum sentientibus præceptoribus schismatici discipuli denominentur. (3) Calviniani Calvinum revera pro magistro fidei habent; etsi se habere videri nolunt: quippe cuius dictis tantum credunt, ut ejus causa dicta Scripturæ torqueant & evertant. (4) Ipse Paræus, veritatis vi adductus hoc faretur ac concedit, in 1 Cor. 1. ita scribens: „ Annon licet hereticos „ nominibus suorum autorum appellare, ut caveantur? Quidni liceat, quan- „ do de heresi constat? Sic enim Scriptura Nicolaitas, Libertinos, appellat. Unde sublumimus: De heresi Calvini nobis constat. E. rectè Calviniani appellantur, qui Calvini opinionibus subscribunt, utpote meritò illius nomen gerentes, cuius dogmata defendunt. Vid. Meisn. disp. Witteb. T. 3. disp. X. §. 8--18.

Obj. II. Nec ipsum Lutherum voluisse, ut à se tanquam homine nudo discipuli denominentur Lutherani T. II. Jen. Germ. f. 82. & T. II. Witteb. p. 4. Resp. Ejus rei cautio Luthero justa erat, (1) ne magis ipsi, quam Christo in S. literis loquenti, credamus. (2) ne immodestus & vanæ gloriæ cupidus videretur; interim ut ab ipso tanquam præceptore, qui ex S. literis orthodoxus agnitus sit, denominemur, ad distinctionem ab iis, qui heterodoxos præceptores sequuntur, illi adversum non est, ib. f. 91. (Vid. Meisn. l. c. §. 18.) Nec Calviniani scrupulum illum habent, quò minùs nos semper Lutheranos vocent.

Quest. III. Quis schismati inter nos & Calvinianos primam causam dederit, nosne an illi? Resp. aff. posterius, neg. prius; quippe Carlstadtus, teste Sleidano l. 3, dum Lutherus Wittebergâ absuit, diversa dogmata proposuit, statuis è templo tumultuose ejectis. Hinc teste Philippo in literis ad Myconium ad totius Germaniæ notitiam provocante, cum ejus iconomachia à Luthero improbaretur, inflammatus inani vindictæ cupiditate, in articulo de S. cenâ quæsit causam, quâ Lutheri existimationem obrueret. Hominem hunc Helvetii receperunt, teste Paræo irenici p. 192, & Henrico Altingio p. 2. loc. Theolog. p. 265, ac præcipuè Zwinglius ejus causam, cui jam antea favebat,

favebat, defendendam publicè suscepit, eadēque commentario de verā & falsā religione anno 1525. Lutherum in petiit, quippe ejus gloriæ invidens ejusq; obscurandæ occasionem quærens, ut ex literis ejus ad Osiandrum probat Wigandus de schismate Sacramentario pag. 13. Tandem etiam, etsi nuper à colloquio Marpurgenſi pacifico redux, peculiari confessione in Augustanis comitiis oblata se à Luthero separavit.

Contra Calviniani passim causam schismatis & certaminis sacramentarii feroci Lutberi adscribere solent, ut sc. à se suisque culpam removeant.

Obj. I. Lutherum vehementissimis semper verbis pacem declinasse; Electorem Saxonia pacificos Theologos ex Academiâ Wittebergenſi eiecisse; tandem conspiratione factâ in Formulam Concordiæ schisma perfectum fuisse. Resp. 1. Aliud est de origine schismatis & controversiæ, aliud de ejus progressu, quærerere. 2. Susceptū schisma alunt, nec pacificorum nomen merentur, qui occultis studiis atque fraudibus opiniones contrarias iis, quas publicè præ se ferunt, sedulo promouent, & disseminatos cupiunt, quod fecere crypto-Calviniani Wittebergenſes; non verò, qui illos conatus detegunt, sibi que ab ipsis prospiciunt, quod nostratibus vitio vertitur. vid. Hutterus in Concor. conc. & Creutatio historia Peuceriana T. I. consiliorum Witteb.

Obj. II. Lutheranos exclusione Calvinianorum ab Aug. Conf. societate id unicè egisse semper, ut Calvinianis pacis publicæ securitatem adimerent. Resp. 1. Nostrates exclusione illâ dolis Calvinianis obviam ire, malè fidam pacem Ecclesiasticam declinare, non politicam invidere voluisse. (2) Si ad justam hanc cautionem quibusdam regionibus exclusi sunt, non tantum idem fecerunt Calviniani nostris, ex Hassiâ, Marchiâ, aliisque provinciis in exilium pulsis; sed & sanguinolenta contra eos consilia Principibus instillare ausi sunt, juxta distichon Heidelbergense:

O Casimire potens, servos expelle Lutberi,
Ense, rotâ, ferro, funibus, igne neca,

Urbani Pierii votum Witteberge pro concione dicentis ann 1591. jam sat diu stramento scriptum, tandem etiam minio scribendum esse.

Quæst. IV. An Calviniani tamen a nostris tolerari possint, ut fratres in fundamento fidei concordēs? Resp. neg. Quia (1) Calviniana dogmata, præcipuè illud de prædestinatione absoluta, fundamentum salutis homini eripiunt, dum ex particulari benevolentia nemo de se con-



6
cludere possit; desperationi verò, dum vera consolatio deest, & securitati hominis carnali, dum *raptum irresistibilem expectat* & ex semel facta justificatione pereundi possibilitatem negat, viam apertam sternunt, aliisque modis in DEam & Christum *ejus injuriosa sunt* & sic nulla ratione toleranda. (2) *Eò magis cavenda, quò homines ad incredulitatem in articulo de S. cornâ & personâ Christi, & ad securitatem carnalem in articulo de prædestinatione per illa dogmata commendatam, proniores sunt, & adversarii ad eadem promovenda, sub fallâ indifferentia specie diligentiores.* (3) *Calviniani sententias nostras ipsorum erroribus oppositas, variarum heresum, Pelagianismi, Erychianismi, Marcionismi, arguunt, & sic, quam à verâ tolerantia alieno animo sint, satis produunt.*

Contra Calviniani plerique, (rigidioribus quibusdam, in Belgio præsertim & Helvetiâ exceptis) ut David Paræus in enico, Conradus Bergius, Job. & Lud. Crocii, Hottingerus, Dureus &c. fraternam concordiam & syncretismum (quæ ipsius Paræi vox est) inter utramque partem persuadere conantur, quasi in fundamento fidei nulla sit dissensio.

Interesse eorum idem est, quod ad qv. 1.

Obj. 1. Consensum jam ante plus simplici vice inicum esse, nempe post colloquium Marpurgense 1529, in concordia Wittebergensi an. 1537, consensu Sendomiriensi in Polonia 1570, unione Bohemica 1575, colloquio Lipsiensi an. 1631, quo eodem an. in synodo Gallorum nationali Carentoni fraternitas & admissio ad communia sacra Lutheranis decreta sint. Resp. (1) In concordia Wittebergensi Bucerus & Capito Theologi Argentineses errores suos dimiserunt, & ad eandem confessionem tum ipsi, tum etiam Lutherus Helvetios persuadere voluerunt; verum non candidè egressi Bucerum postea patuit, cum eandem ad morem Zwinglii interpretari cœpisset, Helvetiis nec sic tamen eam recipientibus; Unde patet Calvinianos, quibus concordia Wittebergensis non placet, ad eam provocare non posse. (2) Consensus Sendomiriensis sub ambiguis terminis factus, ut multos decepit Lutheranos, ita reliquis mēsurā adtionum non est, nisi ut sibi ab hâc arte Calvinianâ cavere discant; (3) In Bohemiâ nunquam agnita fuit unio à nostrazibus, etsi Calviniani, ut libertate religionis cum nostris fruerentur, nostram se confessionem recipere in speciem profiterentur. (3) Colloquium Lipsiense cum expressâ protestatione de non præjudicando inicum est, & in contradictione finitum absque controversiarum conciliatione. (5) Synodi Carentonensis tole-
rans

rantia nec omnibus Lutheranis decreta est, sed iis tantum, qui dogmata Calvinianis contraria nec directè nec indirectè aliis se comendaturos esse promitterent, nec reciprocè ad communionem etiam sacrorum apud Lutheranos expetendam directà, i. e. talia, quæ Lutheranis aditum ad Calvinianos daret, sed Calvinianis ad Lutheranos non item.

Objic. II. Calvinianos Aug. confessioni subscribere paratos esse, ut constet ex prætensione hujus tituli, & exemplis, Beza subscribere volentis in colloquio Possiaco 1561. Zanchii in miscellaneis atque aliorum. Resp. (1) Subscriptio Calvinianorum, si maximè invariata Aug. confessioni fieret, explanationes mentales sibi reservat. Ità Bezam voluisse subscribere non approbativè, sed per fidem notarit, hanc esse veram A. Conf., docet Rivetus in diabysi p. 205, vel, uti eam Philippus interpretatus est, juxta ipsius Beza literas ad Dudithium. Zanchii subscriptio fuit manifestè ambigua his verbis: Hanc confessionem ut piam judico ita subscribo. Vid. Schlüsselb. in probat. Spiritus Sacrament. s. 37. (2) Omnium ἐπισημοῦν in Germaniâ quæ fuerit mens, testatur Synodus Dordracena sess. 36: nempe pacem & fraternitatem Ecclesiæ Lutheranis quidem obtulerunt; sed eorum confessionem non receperunt, nec unquam in hoc cosenserunt, ut Lutheranorum opinio in templis suis doceretur.

Obj. III. Ipsum Lutherum in libro de servo arbitrio, & Augustinum in Ecclesiâ Catholicâ magni nominis virum in scriptis anti-Pelagianis, eandem de prædestinatione fovere sententiam, quæ nunc in Calvinianis omnium maximè nobis displiceat. Resp. (1) Posito id verum esse; tamen simplex error, in quem fortè ex fervore disputationis incidimus, distingvendus est ab hæresi, seu pertinaci ejus defensione atque propagatione. (2) Luthero eam mentem in isto libro non fuisse, quam volunt Calviniani, docuerunt tum alii Doctores nostri, tum præcipuè D. Schmidius luculento in illius commentario, haud ita pridem edito. (3) Nec Augustinum cum Calvinianis facerè, docet responsio Prosperi discipuli ejus ad capitula object. Gallorum & Vincentii, quâ articulos Augustino falso impositos enarrat & ab ipso removet; docet & ipsa Scriptorum Augustini accuratior inspectio, cum quâ conferatur Vossii hist. Pelag. ut & Calovius T. 1. System. Theol. p. 228.

Quæst. V. An Calvinianorum doctrina ex publicis tantum ipsorum scriptis, an verò etiam ex privatis æstimanda sit? Resp. aff. posterius, neg. prius; quia (1) publica doctrina ecclesiarum ad confessionem publicam

nulla

5
nulla necessaria est relatio, cum ecclesia sine illâ esse & propagari possit, cujstamen doctrina cognoscibilis sit. (2) Doctores celebriores nec apud suos unquam reprebendi, regulariter non presumuntur à doctrinâ ecclesiæ suæ publicâ recedere, ad quam adstricti sunt, & meritò habentur testes ejus idonei, qui sine causâ rejici non possunt:

(3) Nondum inter Calvinianos satis constat, quenam sine scripta publica, cum Massonius P. 1. anat. c. 8. etiam privatorum scripta de fidei articulis, quæ communiter leguntur, inter illa referat: Palatini verò im ausführlichen Bericht c. 1. tantum ea, quæ à pluribus eruditis conjuncta operâ facta & communi nomine edita sunt, recipiunt; Sic Institutiones Calvinii non sunt publicum scriptum, quod voluit Massonius: Lud. Crocius autem disp. IV. contra descriptionem Calvinismi Doctoris Hoë, nulla publica scripta agnoscit, nisi quæ sunt confessionum formulæ, ita scripta Palatinorum contra Wurtembergicos, & ipse illorum orthodoxus consensus, & Ausführlicher Bericht was die Reformirten Kirchen in Teutschland glauben / oder nicht / non annumerantur ab eo publicis, quòd aliud sit narratio de doctrinâ, aliud ejus confessio. Quia & particularium ecclesiarum confessiones, quæ in Syntagma & harmoniâ Confessionum extant, pro universalibus agnoscere tum ipse detrectat, tum Poloni omnes in Synodo generali anno 1583, ut adeò sic nullum ex his relinqvatur scriptum Calvinianis omnibus publicum. (4) Scripta & Confessiones publicæ, quæ sunt singulis ecclesiis, circa articulos controversos nimis concisæ & obscuræ, imo etiam subdolæ quandoque sunt, quàm ut inde mens vera Calvinianorum satis pateat. Sic de Helveticâ confessione proficitur Syntagma confessionum p. 3: Capitonem & Bucerum rogasse, ut sic adornaretur, ut inter ecclesias sanciretur concordia, & Rivetus in animadv. ad Grotii annot. ad Cassandrum p. 104. de Formulâ Possiacenâ testatur, quòd phrasibus & verbis constiterit, quæ ab utraq; contendentium parte ad suum sensum trahi possunt. Amyraldus etiam in prafat. animadv. in exercitat. Spanhemis fatetur: confessionem Calvinianorum Thoruniensem magnâ prudentiâ sic confectam esse, ut paci cum Lutheranis constituendæ multum tribuisse viderentur. Cujus etiam exemplum dedere inter ipsos Calvinianos Spanhemius & Amyraldus, nec non Marefius & Vocetius, utriusque ad Synodum Dordranam provocantes. (5) Ipsi Calviniani, Sociniani & Pontificios ex privatorum scriptis æstimantes ac judicantes, suo exemplo docent, quod iniqua postulent.

Contra

Contra Calviniani passim, v. gr. Synodus Dordracena in conclusione decretorum, Wendelinus l. 1. Christi. Theol. c. 1. th. 24, & præsertim Irenici, qui de pace nobiscum ineundâ scripserunt, qveruntur, fidem Ecclesiarum Reformatarum è privatis scriptis, sive veterum sive recentiorum Doctorum æstimari; obtestanturq; nos, ut non nisi ex publicis confessionibus & scriptis communibus se judicemus.

Interesse ipsorum est, ut eò melius virus suum dissimulare possint, viamque syncretismo sternere, nec de absurdis, quæ in sinu fovent, respondere cogantur. Nostrum, ut dissimulantes rectius excusiamus atqve caveamus.

Obj. I. *Privatorum opiniones atqve ἀκυρολογίας inconsideratas non debere præjudicare toti ecclesie.* Resp. (1) *Distingvenda sunt opiniones privatorum, quibus alii contradicunt, ab iis, quæ plurimis, plerisque, vel omnibus Doctoribus, qui suos semper præsumuntur habere discipulos, communes sunt; illæ non præjudicant, sed hæ. Cum enim ecclesia constet ex privatis, his errantibus errabit & illa, & pro numero errantium vel tota, vel magnâ sui parte.* (2) *Ἀκυρολογίας veræ, quæ recepto dogmati adversantur, distingvenda sunt ab iis, quæ eidem sunt conformes, aut exinde fluunt; non illæ, sed hæ præjudicant, dum, quæ alii involutius dicunt, sine fuce & ambiguitate proponunt, adeoque cruditatem sententiæ Calvinianæ demonstrant.*

Obj. II. *Doctrinas, quæ confessionibus publicis non inferuntur, esse illas, ad quas ecclesia omnes obligare non voluerit; & si quæ istic sunt ambiguè dicta, charitati convenientius esse, ut trahantur in sensum meliorem.* (Hæc objicit Bergius) Resp. (1) *Doctrina etiam, ad quam nemo obligatur, potest ecclesie communis & familiaris esse, & eo nomine illi imputari.* (2) *Modi obligandi plures sunt, quàm per confessionem publicam; cum solus numerus consentientium, tanquam quidam torrens objectus, satis quemvis obligare possit, quo præcipuè contra Amyraldum pugnat Spanhemius exercit. de gratiâ universali p. 21.* (3) *Confessionis primarius finis non solet esse, normam præscribere suis, sed exteris se declarare atqve commendare; quare doctrina aliqua aliâ de causâ, quam quod se obligari ad illam nolint, omitta esse potest.* (4) *Judicium charitatis locum habet, ubi contrariæ suspitionis nulla justa causa est; at verò, contra interpretationes Doctorum & hypotheses communes explicare velle ambiguam confessionem, magna res imperitiæ foret: cum Doctores*

B

præ-

præsumantur confessiones suas optimè intelligèrè & interpretari.

Quæst. VI. An Calvinianis imputanda sint consequentia, ex ipsorum dogmatibus legitimè fluentes? Resp. aff. Si intelligantur imputata, non quidem ut dogmata propria & explicitè agnita; attamen ut implicite & virtualiter proposita: quia (1) præmissæ sunt causa conclusionis, eamque omni homini, Logicâ naturali pollenti, tacite insinuant. (2) Conclusio falsa est infallibile argumentum alterutrius præmissæ falsæ, 1. Job. 2, 21, ut adeo illa negari non possit, nisi & hæc negetur; unde deductio ad absurdum legitimus modus refutationis est. (3) Christus ipse consequentias imputavit Pharisæis, quòd per traditionem verbum Dei tollerent, Matt. 15, 3, 9, Paulus carnaliter viventibus, quòd sint hostes crucis Christi, Phil. 3, 18, & licet profiterentur Deum, quòd reverà tamen negent, Tit. 1, 16. (4) Ipsi quoque Calviniani non tantùm Pontificios & alios hæreticos, sed & nos consequentiis pluribus passim onerant. (5) Consequentias etiam ex S. Scripturâ deductis, non minus quàm expressis ejus verbis credimus, & contra Hæreticos utriusque utimur. Quod ergò S. Scripturæ imputandum est, quare non & Calvinianis?

Contra Calviniani plures, ut Palatini im auffühelichen Bericht c. 1. pag. 20, præcipuè autem Irenici, queruntur, injuriam sibi fieri consequentiarum imputatione.

Interesse eorum est, ut eò minùs absurdi videantur, & ad syncretismum aptiores: Nostrum, ut occultum virus detegamus ac fugiamus.

Obj. I. Credi debere viro bono consequentiam neganti & dogma detestanti, ne ipsi imputetur contra protestationem. Resp. (1) Fæta protestationi contraria fidem & boni viri præsumtionem negantibus adimunt. Sæpius enim accidit, ut propter horriditatem dogmatis nolis videri dicere, quòd maximè aliis instillatum cupis. (2) Etiam ubi dolus directus abest, obliquo tamen implicatur, qui de consequentiæ veritate convictus, præmissam tamen, unde absurdum sequitur, dimittere non vult. (3) Etiam qui de veritate consequentiæ convictus non est, culpâ tamen non vacat, quòd dogmati consecrario, licet ignarus, causam & occasionem præbeat.

Obj. II. Sic etiam ex Scripturis posse elici consequentias absurdas, & Marcum, dum c. 5, 1. negat, Christum propter incredulitatem hominum in patriâ miraculum edere potuisse, accusari, quasi omnipotentiam Christi

Christi negavit. Resp. Loquimur de consequentiâ legitimâ & justâ, non falsâ, quæ ex pravâ sensu apprehensione oritur. Ubi ostendere possunt Calviniani, sensum suum malè esse perceptum vel consequentiam esse illegitimam, justum est, ut inde desistamus.

Quest. VII. Quanam sine præcipuè Calvinianorû factiones? Resp. Prima & antiquissima factio est Puritanorû superiori seculo à disciplina Calvini Genevensi orta, quæ cum præ cæteris sibi videretur non tantum in doctrinalibus, sed & in ceremonialibus ecclesiam suam ab omni fermento Papisico puram præstitisse, discipulos concitavit, & præcipuè Anglos ab exilio in patriam reduces factos, ut eundem rigorem in patriâ quisque suâ pariter introducere contenderent, quæ res in Angliâ magnorum motuum causa fuit, perpetuumque contra Episcopos schisma fovit, nuperque in triste bellum ipsiusque Regis publicum parricidium prorumpens, ægrè in pristinum statum restituta est, vid. D. Heylin *Aerius redivivus*. Dicuntur Non-Conformistæ, quòd se legibus Ecclesiæ Anglic. conformare nolint, oppositi Conformistæ, alias Episcopalibus vel Hierarchicis dictis. A parte Puritanorum stant Transylvani, Bohemi & plerique Helvetii, Galli, Belgæ, qui in Belgio nomen Præcisitarum gerunt, de quo consulatur Voetius P. 3. *disf. select.* p. 59. *Mediam pacis viam commendant plerique Germani*, ut & ex Galliâ & Belgio quidam, præcipuè nuper Mart. Schookius contra Voetium, & in Angliâ Latitudinarii, post restitutum Regem nuperrimè orti.

Secunda est Supralapsariorum & Sublapsariorum à decreto prædestinationis lapsum prævisum vel præveniente vel sequente ita dict. Supralapsarii à Theod. Bezâ præcipuè orti sunt, (cùm Calvini mens à multis in dubium vocetur; etsi reverà eadem) & inter alios Fratres Delphentes sensere adversarios, multis tamen & celeberrimis in Angliâ, Galliâ atque Belgio ad stipulatoribus inclaruerunt, & licet Synodi Dordracena suffragia & decreta ad Sublapsariorum hypothesein magis inclinarint, quam in Germaniâ & Galliâ plerique secuti sunt; plures tamen præcipuè in Belgio ex eo tempore Supralapsarianismo adhæferunt, & hodiè plerique omnes adhærent. Vid. de hoc cap. *disf. inter. Voetium & Maresum*.

Tertia est Categoricorum & Hypotheticorum, itidem à decreto prædestinationis vel categoricè negativo vel hypotheticè universalis, appellatorum. Horum antesignanus sub medium hujus seculi



fuit *Moses Amyraldus Professor Salmurienfis in Galliâ*, cujus partes hodiè omnes Galli fequuntur, propterea Amyraldiftæ dicti. Ejusdem fententiæ fuit jam ante *Amyraldum* magna pars *Germanorum*, præfertim in *Marchia*. vid. inprimis de hâc controverfiâ *Amyraldi & Spanhemii* fcripta à *J. C. de gratiâ univerfali*. Sunt autem Hypothetici omnes Syncretiftæ, interefle fuæ æqvivocationis aut refervationis mentalis, qværentes in ftudio pacis illicitæ, qvòd fatetur *Amyraldus* ipfe fupra p. 8. citatus.

Quarta eft *Independ. ntium & Presbyterianorum*, à regiminis ecclefiastici diverfitate, vel à vicinorum fuffragio independentis, vel per Synodos & claffes Presbyterorum conftituti, nomen trahentium. *Independentes* medio 17 feculo fub tempore Regicidii in *Angliâ ex Puritanis* orti funt, vetera *Eræfti*, fuperiori feculo in *Palatinatu Medici*, principia fecuti, adverfariosqve tum in patriâ plures, tum in vicinâ *Galliâ atqve Belgio* plerofqve habuerunt. *Germani* hic ferè indifferentes funt, nec caufam fuam fecerunt. Vid. de hâc controverfiâ difputantes inter fe *Moses Amyraldus*, & *Lud. Molinaus*.

Quinta *Cartefianorum & Ariftotelicorum* à principiis Philofophicis in Theologiâ affumtis ita dictorum. *Renatus des Cartes*, *Nobilis Gallus*, profeflione Pontificius, novam fuam *Philofophiam* fub medium hujus (17) feculi, edidit in *Belgio*, à multis avidè arreptam, præcipuè à *Chriftoph. Wittichio*, ad principia *Theologica traductam*, cujus exemplum & institutiones ita multi fecuti funt, ut a paucis annis alteram ferè *Belgii* partem *Cartefiani* impleverint, magnis contentionibus licet ab adverfa parte impugnati. Vid. contra *Wittich.* inprimis *Marefi Syft. & Maftrechtius*.

Sexta *Coccejianorum*, à *Job. Coccejo* appellatorum, cujus circa prophetias S. Scripturæ & ftatum Patrum V. T. explicandum, principia amplectuntur, qvi itidem a paucis annis nati, cum *Cartefianis* eandem focietatem conftituunt eosdemqve fentiunt adverfarios, ut jam non duæ, fed una factio meritò habeantur, dum omnes ferè *Cartefiani* funt *Coccejani*, & contra. vid. de his controv. præcipuè hinc *Allinga & Grænevogen*; illinc *Hulfius & Leydekkerus*.

Aliæ factiones ignobiliores funt, & cum Autoribus fuis ferè exspirarunt, ut *Job. Pifcatoris Herbornenfis* in *Germaniâ* de obœdientiâ *Chrifti* activâ; *Job. Cameronis* in *Galliâ* de triplici fœdere; *Pla-*

13
cei it. in Galliâ, de imputatione primi peccati; *Labadie* in Belgio & Germaniâ de Sanctitate ecclesiæ; item *Brownistarum* aliarum-que sectarum in Angliâ, de quibus vid. *Honorius Reggius* s. *Georg.* *Hornius* de statu Eccles. Britann. Acerbior, quæ in universale schisma erupit, est *Remonstrantium* s. *Arminianorum*, quorum principia *hodiè serè sequuntur Angli Episcopales*, (non Scoti) qui vulgò non tantum suæ gentis, sed & cismarinos Calvinianos pro ecclesiæ suæ fociis agnoscere nolunt; etsi hi illos non itidem dedignari soleant.

CAPUT. II.
DE
PRINCIPIO THEOLOGIÆ ET
SCRIPTURA SACRA.

Quæst. I.

AN naturalis Religio ad salutem sufficiat, an verò ulteriore aliâ divinâ revelatione opus sit? Resp. Neg. prius, affir. posterius; quia nemo venit ad Patrem, nisi per Christum *Job. 14, 6*, in cujus cognitione justa vita æterna consistit, *Job. 17, 33*, ita ut nullum aliud nomen sit, in quo salvemur, *Act. 4, 12*, quæ autem à naturâ haberi non potest, *Matt. 16, 17. 1. Cor. 2, 7*, sed per prædicationem tantum acquiritur, *Rom. 10, 14. seq.* unde Gentiles dicuntur *ἀγνοῦντες*, qui spem non habeant, *Eph. 2, 12*, Deique ignari. *Gal. IV, 8.*

Contra I. *Zvinglius* in *expos. fidei ad Regem Gallia*, *Numam*, *Aristidem*, *Socratem*, *Herculem*, & id genus Ethnicos, inter beatos cœlites numerat. Quam ejus thesin à *Luthero* & *Nostratibus* impugnatam, primum defendere conatus est *Gualtherus* in *Apol. operibus ejus præfixâ*, deinde *Tigurini*, *Embdenses* & alii; it. *Keckerm.* in *system. Ethico*, quòd Deus extra Sacram Script. etiam in medio gentilismo homines per suggestiones vel internas vel externas in sui cognitionem trahat. Deinde excusare cœperunt alii, ut *Pareus* in *Irenico* c. 24. *Jacobus Capellus* contra *Rosveidum* &c. quòd verba *Zvinglii* sub conditione intelligenda sunt, si nempe illi, quos nominavit, in hac

B 3

Chri-

Christianorum fide hinc migrarunt. Addit *Vedelius l. i. ration. Theol. c. 9.* existimasse Zvinglium, quod gratiâ quâdam speciali & extraordinariâ Deus in illis fidem accenderit. Aliter *Hottengerus in append. priore schole Tigurina p. 65.* ex adscriptis ad marginem Operum Zvinglii verbis in exemplari Laurentii Agricolaë, quod nomina *Herculi, Socratis &c. synecdochicè de forti, sapiente, exponenda & intelligenda sint.* Sed excusationibus hisce & incrustationibus contradicit ipse *Zvinglius*, cum in epist. ad *Urbanum Rbegium* anno 1536. scriptâ *T. i. operum p. 118.* docet: adultos, qui de Christo non audiverunt, non teneri lege illâ, quâ, qui non credit, damnationi addicitur; sed solâ ea, quæ cordi inscripta est, nec ignorantiam hujus mysterii ipsis debere imputari. Et in *l. i. de providentiâ T. i. p. 358.* Numæ, Ethnicorum sacrorum Romæ magistro, pium studium circa religionem tribuit, addens: an ergo tam piis & sanctis studiis cœleste numen defuisse putabimus?

II. Moses Amyraldus in tract. Gallico de prædest. duplicem statuit prædicationem, alteram per scripturam, alteram per solam administrationem divinæ providentiæ, quæ posterior quidem ab ingenio humano non impetret, ut ei obsequatur, interim tamen in se, & natura sua idonea sit ad generandam fidem, & sufficiens ad salutem, si ingenium bene comparatum nancisceretur.

Interesse Zvinglii nullum apparet, nisi fortè dilatando cælum Regi Pontificio suam quoque religionem per modum syncretismi vel tolerantiaë commendare voluit: Apologistarum Zvinglii verò est, ne sectæ suæ ex tanto primi Auctoris errore labes annascat: Amyraldi est, ut hac ratione gratiam universalem, quam commendare voluit, apertius dilataret, effugiturus prævisam objectionem, quod apud omnes evangelium non prædicetur: Nostrum, ut Zvinglium adversarium justè notari ostendamus, magisque ab ejus communione homines deterreamus; Contra Amyraldum verò, ut novam ejus methodum à nostra, cujus consensum mentitur, longissimè abesse, apertius ostendatur.

Obj. pro Zvinglio l. Verbum Dei nullum, quâcunqve etiam methodo, s. per naturam s. per gratiam, administratum, redire vacuum Esa. 55, 10. 11. Resp. Esaias loquitur de verbo promissionis & comminationis revelato, quod hominibus per suggestiones

stiones internas in medio Gentilismo obtingere; probandum erat,

Obj. II. Etiam nostrates, nempe *Lutherum in sermonibus convivialibus*, sperare, *Deum fore propitium Ciceroni & aliis Ethnicis, & Brentium T. 8. p. 961* cœlo inserere ipsum Satanam & Angelos ejus. Resp. I. de *Luthero*. (1) Sermones convivales *Luthero* nunquam visi, annotationes sunt ab inepto discipulo profectæ, ideoque nullam auctoritatem habent. (2) In ipsis illis subjicitur correctio: *wiewol uns nicht gebühret das gewis zu sagen/ sondern wir sollen bey dem Worte bleiben/ wer gläubt und getaufft wird/ der wird selig.* (3) *Melius sperari potest* de quibusdam Ethnicis comparatè, quòd minori damnatione afficiantur. (4) Ethnicos quosdam ad cognitionem veritatis adductos esse per judæos, constat exemplo *Naaman, Jethro, Ruth &c.* (5) *Lutheri vera sententia ex contradictione Zvinglio facta T. 8. Jen. Germ. f. 175,* alibi que patet.

II. De *Brentio*; quod per cœlum non intelligat sedem beatorum, sed *regimen Dei incircumscriptum*, ut ipse l. c. exponit. Ita in cœlo est pugna *Draconis Ap. 12, 7,* & in regno cœlorum hostis seminans zizania, *Matth. 13, 25. seq.*

Obj. III. Ab *Amyraldo*, homines in medio Ethnicismo ex abusu vel non-usu notitiæ naturalis fuisse inexcusabiles *Rom. 1, 20:* adeoque, si usi rectius fuissent, excusatos, nec condemnandos. Resp. *Excusatio* non a damnationis merito; sed a gratiæ protervâ rejectione relinquitur homini, citra lumen gratiæ lumine naturæ benè utenti: ideoque abusu ejus non demum contrahit, sed veterem potius aggravat condemnationis causam.

Quest. II. *An principia ratione humanâ inventa, aut per inductionem ab externis sensibus collecta, sint norma Theologiae, secundum quæ verbum Dei revelatum explicandum sit?* Resp. Neg. Quia (1) Sapiëntia humana obstat sapiëntiæ divinæ, 1. *Cor. 1, 19,* neque hæc ab illa percipi potest. c. 2, 14. (2) Ratio nostra cœca est *Eph. 4, 18,* & in errorem inducit c. 2, 3. *Col. 2, 8.* (3) Ratio sub obsequium fidei cogenda est, 2. *Cor. 10, 5.*

(4) *Deus plus potest, quam nos intelligimus, Eph. 3, 20.*
Contra (1. *Calviniani* alii ipsa praxi, alii etiam expressa assertione

zione Philosophiam Dei fundamentum vocant, ut *Laurellus*, fidem ratione stabiliri dicunt, ut *Scarmius*, etiam verba naturæ sequenda esse in Theologia, ut *Martyr*, lumen Sp. Sancti per Metaphysicam accendi, ut *Keckermannus*, videantur loca citata apud *Calovium T. 1. System. p. 362.*

Interesse illorum est, ut articulos de *S. Cœna & Communic. idioma- tum in personâ Christi* eo fortius oppugnent. Extra illos constituti vel in explicatione justitiæ, absoluti decreti, vel in articulis de *SS. Trinitate & incarnatione Christi*, pluribus verbis sæpius contrarium nobiscum docent. *Vid. loca apud Gerbardum L. de interpr. Scripture S. 172. Quod conciliaturus Spanhemius in dubiis Evangelicis p. 112, distinguit inter objectum finitum & infinitum.* In illo rationem pro norma agnoscit, in hoc non item. *Nicolaus Vedelius* verò in *Rationali Theologico* passim distinguit inter *veritatem sententiarum & connexionum*, hanc, non illam ex naturali ratione à suis deduci asserens. Alii plures distingvunt inter *rationem regenitam & irrogenitam*, illam, non hanc, audiendam esse, contententes.

II. Cartesiani negant: *Theologiam Philosophiæ* quidquam imperare, sed utriusque eandem esse certitudinem volunt, ut *Allinga* in *corollario ad Ryssenium, & Wittichius Theol. pacifica c. 1. S. 15. item Burmannus Syst. l. 1. c. 12.*

Interesse ipsorum est, ut *Philosophiæ suæ auctoritatem* stabiliant, eamque contra *Theologorum objectiones* muniant, unde *Cartesii* causam esse causam Dei dicit *Riderus* in *prefat. ad T. 1. libri dicti Schrifturlicht (Lumen Scripturæ)* Interesse nostrum est, ut *Calvinianis argumenta rationis* in articulis illis de *S. Cœna & Persona Christi* eripiamus.

Obj. I. à Sculteto in ideâ conc. in Esaiam: iudicium prudentiæ humanæ advocari ab ipso Paulo in articulo de *S. Cœna, 1. Cor. 10, 15, Resp.* iudicare jubet Paulus l. c. non de articulis fidei; sed secundum eos de moribus hominum, nec ex prudentiâ naturali; sed *divinâ*, quam commendat *Eph. 5, v. 17. 1. Cor. XIV, 20.*

Obj. II. Objectum finitum esse in spherâ sensus & rationis, adeoque rectè inde dijudicari. Resp. (1) Non omne, quod in spherâ sensus & rationis sua natura est, à nobis etiam attingit, & ex sensu vel ratione rectè intelligi vel dijudicari potest. Multa invenerunt multi, quæ aliis

aliis impossibilia videntur. (2) Res quævis sub sensum & rationem cadens, eatenus inde judicatur, quatenus verbo & auctoritate divina, aliud, quam nos videmus & capimus, asserente, inde non eximitur.

Obj. III. Augustinum l. 2. de doctr. Christ. c. 33. docere distinctionem inter veritatem connexionis & sententiarum. Resp. Augustinus per veritatem connexionum intelligit notiones secundas Logicas, quid revera subjectum, quid prædicatum, quid antecedens aut consequens in data propositione sit? non verò notiones primas, quam vere prædicatum cum subjecto connectatur, ut vult Vedelius; sic enim illa connexio nil aliud est, quam ipsa sententia.

Obj. IV. Rationem tantum irregentam Spiritui Dei adversari, eamque solam à Paulo damnari; non regentam fidelium. Resp. Atqui per id, quod ratio sub obsequium fidei cogitur, nec ad suum captum mysteria fidei rejicit vel torquet, regenta est: Ergo, quandocumque suas conclusiones pro regula fidei obtrudit, irregenta est & Spiritui Dei adversa.

Quest. III. An S. Scriptura, accommodando se ad captum vulgi, quædam à veritate aliena proferat? Resp. Neg. Quia est divinitus inspirata, 2. Tim. 3, 16. 2. Petr. 1, 21, etiam ipsis verbis à Sp. Sancto profectis, 1. Cor. 2, 13, unde verbum Dei dicitur Rom. 3, 2. Jer. 1, 9, Spiritus S. autem ejus Autor viros θεοπνευστας in omnem veritatem duxit. Joh. 16, 13.

Contra. I. Franciscus Junius l. 1. parallel. Sac. paral. 60, scribit: Scriptores sacros publico errori non raro indulgisse, ut à veritate historia deflecterent. II. Cartesiani & imprimis Wittichius diff. de abusu Scripturae in rebus Philosophicis, it. de stylo Scripturae, it. in consensu veritatis revelatae & Philosophicae, contendit: Scripturam sæpius non secundum accuratam veritatem, sed opinionem falsam vulgi loqui, non tantum in naturalibus, sed & in moralibus & rebus fidei.

Interesse ipsorum est præcipuè, ut motum telluris ad mentem Cartesiani contra Scripturae phrasin defendant: Nostrium, ut Scripturae sua illibata constet autoritas.

Pro solutione argumentorum contrariorum notetur distinctio inter vocis sive phraseos originem vel philosophicam etiam analysin, & sensum ex usu vulgato receptum.

Quest. IV. Num una eademque vox in eadem simplice propositione, vel una

C

una eademque oratio plures diversos sensus habere posse ex intentione Sp. Sancti. Resp. Neg. quia (1) Omnis sensus verus est determinatus, adeoque distinctus à quovis alio. (2) Ut eadem res duas formas oppositas vel disparatas eodem tempore naturaliter nequit habere; ita neque idem verbum duos disparatos & oppositos sensus eodem tempore ex mente Scriptoris. (3) Multiplicitas sensus parit ambiguitatem, non minus in voce quam in tuba 1. Cor. 14, 7. seq., quod à Scriptura S. alienum est, quam perspicuam esse agnoscunt adversarii.

Contra I. Calviniani quidam in vocibus institutionis eucharisticæ: *edite, bibite*, duplicem sensum agnoscunt, proprium & figuratum, ut *Autor considerationis commonefactionis* p. 220. *Zacharias Ursinus*, *Bucanus in LL. Comm.*, *Bergius in Stercomate* p. 42. aliique.

Interesse illorum est, ut sic realem presentiam corporis Christi in eucharistia, ejusque oralem manducationem destruant: *Nostrum, ne id fiat.*

II. Coccejani, ut *Burmannus in synopsi Theol. l. 1. c. 22. S. 62. seq.* contendunt: verba Scripturæ in ea latitudine sensus accipienda esse, ut, quicquid significare possunt, id etiam significant. Ita *Coccejus in cantico Moysis Dev. 32, 1.* per cælos intelligit (1) Deum, (2) Angelos, (3) Proceres judaicos, (4) Superiorem mundi machinam; eo quod aliquando ipsi videatur cælum metonymicè vel metaphoricè ita explicari posse.

Interesse ipsorum est, stabilire explicationes novas Sacræ Scripturæ, quibus dicta & prophetiæ V. T. ad speciales eventus nostrorum temporum trahuntur. *Nostrum est*, ut omnes *pseudhermetiarum occasiones hereticæ* in hoc fonte claudantur.

Obj. Ab adversariis prioris generis: Ejusmodi exempla in S. literis esse frequentia, e. gr. *Joëlis c. 2, 13*: lacerate corda, non vestimenta, & *2. Cor. 3, 3*, epistola scripta non atramento; sed Spiritu Dei. Resp. Quæstio est de *propositione simplici, non composita*; ubi propter antithesin eadem vox subinnuitur diverso sensu repetenda; Ibi enim duplex sensus removetur à voce, non in ea combinatur.

Quæst. V. An verbo Dei predicato vel lecto divina virtus inherens inest, quæ fidem & conversionem in homine operetur? Resp. aff: quia (1) Verba Christi dicuntur *Spiritus & vita Job, 6, 63*, evangelium poten-

tentia ad salutem Rom. 1, 16, verbum comminationis divina vim & efficac, Ebr. 4, 12, verbum Pauli demonstrare Spiritum & virtutem 1. Cor. 2, 4. (2) Verbo prædicato tribuitur operatio, 1. Theff. 2, 13, fidei excitatio Job. 17, 20. Rom. 10, 17, & salvatio 1. Cor. 1, 21. (3) Verbum ex ore egressum comparatur imbri efficaciter irriganti, Esa. 55, 10, 11.

Contra Calviniani plerique distinguunt inter verbum internum & externum; & illud, i. e. vim operativam Sp. Sancti, ab hoc, externo np. verbo separant, atque ita fidem & salutem per media externa conferri negant; ut Zwinglius in Confess. Carolo V. in Augustanis Comitibus exhibitæ, non autem prælectæ & Piscator p. 3. duplicationis Vorstii p. 29. Verbo externo ultra significationis usum nihil tribuunt, ut Beza P. 2. resp. ad acta Colloq. Mompelgardensis p. 116; internum vero verbum quandoque externo accedere, & in cordibus intus operari, quandoque non item, docent, ut Keckerm. l. 1. Syst. c. 8. Alii vero verbum Dei prædicatum semper efficac esse concedunt, sed quandoque ad conversionem, quandoque ad indurationem, de quibus vid. Hülsemannus de auxilio gratiæ p. 282. seq.

Interesse ipsorum est, gratiam particularem & pariter irresistibilem statuminare, quæ periret, si verbi divini, ut promiscuè bonis & malis prædicatur, semper eadem efficacia crederetur: Nostrum est, tum has hypotheses infringere, tum auctoritatem Scripturæ & sacri Ministerii contra enthusiasmos munire,

Obj. I. Potentiam divinam non posse competere creatura, ut insit sono vocis & figuræ literarum. Resp. (1) Non sono aut figuræ, sed sensui, qui illis inest, hanc potentiam tribuimus. (2) Verbum Dei h. m. ratione sensus consideratum non est creatura; sed ipsa mens & consilium Dei. Instas: Aut Deus est aut creatura. Resp. neg. disjunctionem, quia datur tertium. Actiones à Deo promanantes, v. gr. creatio, etsi formaliter Deus non sunt, nec tamen sunt creatura.

Obj. II. Virtutem conversionis nec in plantante nec irrigante esse, sed in Deo augmentum dante, 1. Cor. 3, 7. Resp. (1) Paulus istuc agit non de verbi, sed de ministrorum imbecillitate. (2) Imbecillitas etiam instrumenti (quales sunt ministri) opposita causæ principali, negat tantum virtutem propriam, non communicatam.



CAPUT. III. DE DEO.

Quest. I.

AN cognitio existentis Deitatis nobis à natura habitualiter, an verò tantum potentialiter insit? Resp. aff. prius, neg. posterius, quia (1) Cognitio Dei ante intuitum rerum creaturarum inest; quippe per illam manifesta reddita Rom. 1, 19. f. (2) Lex cordibus inscripta ab ipsa natura c. 2, 14, 15, experientia sui arguit summum legislatorem, in cuius simus potestate.

Contra Calviniani plures, ut Timplerus l. 3. Metaphys. c. 1. qv. 9. & l. 4. c. 2. qv. 2. Crocius apud Dorscheum P. 2. Theol. Zach. p. 233, Wendelinus l. 1. Theol. Christ. c. 1. §. 2, non tam insitam natura, quam natura comparabilem esse volunt notitiam Dei, quod homo ad illam sibi comparandam natura aptus sit.

Interesse illorum nullum est, nisi ut Aristotelicis opinionibus de tabula rasa indulgeant: Nostrum, ut Atheos & Photinianos fortius reprimamus.

Obj. I. Ubi nulla actualis species est; (ut in homine primum nato) præter potentiam cognoscendi nihil in intellectu esse potest. Resp. Etsi ad actualem intellectionem præter potentiam & speciem nihil requiratur, ad habitualementem requiritur potentia intellectiva perfectio, qua species ex seipso promptè eliciat, non aliundè acquirat, quemadmodum potentia ab habitu facilitantur juxta Arist.

Obj. II. Intellectum in formandis speciebus dependere à sensibus & sensuum objectis; quippe quorum ille imitationem habeat. Resp. Si per species intelligantur imagines rerum expressæ, negatur omnem cognitionem fieri per species: si objectum simpliciter, vel qualiscunqve menti facta obversatio, negatur illas unice dependere à sensibus. Quippe v. gr. ipsum nihilum intelligi potest, cuius nulla tamen species expressa formari potest. Sic nulli dubitamus, quin homo à nativitate omni sensuum usu destitutus cogitare tamen possit.

Quest. II. An insita naturalis notitia tam perfecta sit, ut ei nihil addi vel demi possit? Resp. neg. quia (1) qui in solo naturæ lumine vivunt, opus habent, ut quærant Deum, an invenire possint Act. 17, 27.

(2) Qui

- (2) Qui Filium ignorat, etiam Patrem ignorat Job. 8, 19. c. 16, 17.
- (3) Ethnici multiplici errore circa Deitatis naturam abrepti sunt Rom. 1, 21.

Contra Cartesiani, ut Claubergius in paraphrasi medit. 3ia Cartesii, it. exercit. 8. de cognit. Dei & sui; nec non Burmannus in synopsi Theologiae c. 14. §. 10. docent: nos habere natura ideam & imaginem Dei in mentibus nostris, summas Dei perfectiones clarius & distinctius exhibentem, quam ulla res corporeas percipimus, quae in omnibus sit eadem; usque adeo, ut nihil addere vel detrudere ei possimus, per quam non solum cognoscamus, quod sit Deus, sed & quid sit.

Interesse eorum est, ut meditationes Cartesii defendant, (quanquam ipsi Cartesio erroris hujus occasio fuerit Pelagianismus) Nostrum, ut doctrinam de naturae imbecillitate & corruptione servemus integram.

Quaest. III. An ex sola contemplatione creaturarum Dei cognitio haberi possit? Resp. aff. Quia Deus in natura de sese testatur, Act. 14, 17. Psal. 19, 2, & invisibilia Dei ex visibilibus innotescunt, Rom. 1, 20.

Contra Cartesiani, ut Wittichius Theol. pacif. §. 132. & consensu veritatis §. 142, it. Burmannus l. 1. synops. Theol. c. 14. §. 12. negant, sensu & contemplatione operum DEI ullam posse comparari Dei notitiam; sed ideam Dei innatam tantum eam occasione excitari.

Interesse ipsorum est, iterum rejectione antiquae methodi commendare Cartesianam: Nostrum, non pati, ut vera probandae Deitatis argumenta nobis eripiantur.

Quaest. IV. An Deus sit à seipso positivè, i. e. sui ipsius causa efficiens? Resp. neg. quia sic in Deo ponitur prius & posterius, nec non actus & potentia, quod à perfectione Dei alienum; & esse, antequam sit, quod absurdum & contradictorium.

Contra Cartesiani, ut Grænewegen praef. in P. 2. clavis Apocalipt. & in Catechismo p. 131 docent: Deum esse à se ipso quam maximè positivè, & quodammodo idem praestare ratione sui ipsius, quod causa efficiens respectu sui effectus.

Interesse illorum iterum nil aliud est, quam Cartesium, qui à unitis & φα, defendere; Nostrum, absurditatem evitare.

Quaest. V. An immensitas & omnipraesentia sit substantialis, an ve-



ro operationis tantum ratione ita dicatur? Resp. aff. prius, neg. posterius; quia (1) praesibus habitationis & sessionis describitur, *Esa. 66, 1. Act. 7, 48. Psal. 2, 4. Ps. 11, 4.* (2) Ita nobis adesse dicitur Deus, ut in ipso simus & moveamur, *Act. 17, 28.* (3) Nec caelo vel terra actu continentur, quibus tamen operatio ejus includitur, *Job. XI, 8. 1. Reg. 8, 27.*

Contra Cartesiani ut Wittichius Theol. pac. c. 18, omnipraesentiam Dei tantum ratione operationis & potentiae intelligunt; neque enim Deum vel definitive vel repletive in ullo loco esse volunt.

Interesse ipsorum est, juxta hypotheses Cartesii (quibus *ubi, locus, extensio, corpus,* omnia synonyma sunt, & abstracta cum concretis, cogitatio cum cogitante, extensio cum extenso confunduntur) immateriale a materia discernere: Nostrum, Socinianis omnipraesentiam Dei negantibus, rimam omnem, qua se ingerant, obstruere.

Quest. VI. Num unica omnipraesentia divina causa vel fundamentum sit essentia ejus immensitas, an verò etiam liberrima Dei voluntas? Resp. neg. prius, aff. posterius: quia (1) omnipraesentia supponit correlatum, nempe rem creatam, cui praesens sit, cujus productio & conservatio ab arbitraria ejus voluntate procedit seu dependet. (2) Ipsa quoque includit ex Scripturae phrasi operationem & providentiam universalem, juxta exegesis *Pf. 11, 5. & Psal. 115, 3.*

Contra Calviniani plerique, ut Polanus l. 2. syntag. Theol. c. 12. ax. I. p. 266. Ant. Sadeel de veritate humanae naturae Christi cap. 3, & Matthias Martinius in vindic. ejus contra Menzerum, docent: solam immensitatem essentiae fundamentum omnipraesentiae esse, imò immensum & omnipraesens esse synonyma.

Interesse ipsorum est, destruere h. m. omnipraesentiam humane Christi naturae, quae infinita non est; Nostrum verò, eandem asserere.

Obj. I. Omnipraesentiam ex immensitate deduci, Jer. 23, 24. Resp. Concedimus, quod illa causa conclusionis sit, non verò quòd unica causa, id quod adversariis probandum erat.

Obj. II. Non posse concipi omnipraesentiam absque immensitate. Resp. Non potest absque illa concipi, tanquam fundamento remoto; conceptibilis tamen est ex alio fundamento proximo.

Quest.

Quest. VII. An omnipotentia divina etiam se extendat ad contradictiones faciendas aut verificandas, quibus idem simul sit & non sit?
 Resp. neg. quia (1) contradictiones naturæ & veritati divinæ adversæ sunt; qvi seipsum negare nequit, 2. Tim. 2, 13. (2) *A Deo* etiam ejusque *promissionibus* in negotio salutis remouentur, 2 Cor. 1, 17. &c. (3) In impossibilitatis hujus agnitione prima vis rationis humanæ consistit; quæ ubi negata vel in dubium vocata fuerit, peiores bestiis erimus, nil intelligentes nec ad ullam disputationem apti.

Contra *Cartesiani*, ut *Wittichius Theol. pacifica* §. 149, docent: veritatem omnem rerum à libera Dei voluntate pendere, facile illam iterum evertente, adeò ut *determinare non audeant*, annoñ Deus possit ea, quæ vera contradictionem implicant.

Interesse illorum nullum est, nisi auctoritas Præceptoris *Cartesii*, qvi in dubitatione prima rejectis omnibus etiam communis rationis principiis, eadem ex natura Dei restituere volens, rectiorem viam non invenit, quam ut ea à decreto divino peteret: Nostrum, absurditatem cavere.

Quest. VIII. An omnipotentia divina ab ullis principiis physica limitationem accipiat? Resp. neg. quia (1) simpliciter nihil Deo impossibile est, *Jer. 32, 17. Luc. 1, 37.* (2) Impossibilia nobis, non sunt impossibilia Deo, *Luc. 18, 27. Matth. 19, 26;* etiam quorum possibilitatem capere non possumus, *Eph. 3, 20, v. gr. traductio Cameli per foramen acus, l. c. excitatio filiorum Abrahamæ è lapidibus, Matt. 3, 9.*

Contra *I. Calvinus in c. 23. Ez. Gl. 1. inst. c. 16. §. 3,* nec non *I. 2. c. 7. §. 5,* absolutam Dei potentiam ordinatæ oppositam rejicit, non ultra quam ad id, quod actu facit, eam extendens. Sic etiam *Beza P. 1. respons. ad acta coll. Mompelg. p. 44, & Massonius P. 1. anatomie c. 27. 11. Ant. Sadeel de sacrament. manduc. p. 99,* de contradictione ex naturæ legibus judicandum esse statuit, & *Beza citatus à Gerb. L. de natura Dei §. 126,* quæ physico jure à regulis communibus eximi non possunt, neque divino posse censet. *III. Danew & alii ex prodromo Darmstadt. citati apud eundem Gerb. exeg. de nat. Dei §. 194.* aperte negant, Deum omnia posse. *IV. Beza cum sociis in coll. Momp. p. 331, Martyr in dial. & contra Gardinerum obj. 2. Wendelinus l. 1. Christ. Theol. c. 1. 1b. 1. §. 27. Maresius T. 2. synop. Theol. Elench.*

lencht. p. 1052, aliiqve plures docent, à Deo præstari non posse, ut humana Christi natura sit omnipræsens, aut in pluribus locis, aut corpus eius in S. Cœna.

Interesse ipsorum est, partim, ita hos articulos oppugnare, nostrum defendere; partim (*antithesi* 1.) *fatalis rerum determinatio*, qva possibile cum decreto Dei recipiatur.

Obj. pro 1. antith.: *voluntatem & potentiam Dei esse reapse idem* propter summam ejus simplicitatem, adeoque alterum altero latius non extendi, juxta *Pf. 115, 3.* Resp. 1. *Voluntas absoluta* seu ipsa vis volendi, cum potentia exsequendi absoluta à parte rei eadem est; *sed decretum volitum*, quod est voluntas ad certum objectum determinata, sive actus volendi, *arctius patet*, nec magis cum illa recipiatur, quam immensitas cum aessentia in h. l. (2.) *Psaltes omnipotentiam Dei* describit à voluntate non limitata ad actualia decreta; *sed absoluta*, nempe quod, quousque hæc se extendere potest, ipsa quoque vis exsequendi extendatur, id enim phrasis: quicquid vult, ex communi hominum, usu significat.

Obj. pro 2. antith. *Naturam creatam naturæ Dei conformiter institutam* esse; unde quod adversetur uni, adversetur & alteri. Resp. *Instituta* quidem est *conformis*, *sed non adequatè*, ut potentia Dei & naturæ æque lata sit, neque ut assimiletur Deo natura.

Obj. pro 3. antith. Deum *non posse contradictoria*, adeoque nec omnia. Resp. *Vox universalis: omnia*, est *collectiva entium*, etiam *imaginabilium*, quæ veritatem essentialem habent, *non contradictoriorum*, quorum *entitas in ipso conceptu destruitur*, adeoque horum exclusio universalem potentiam limitare nequit.

Obj. pro 4. antith. *Extensionem & localitatem vel esse de essentia corporis*, ut ei convenient in primo modo dicendi perse, quod volunt *Cartesiani*, vel eandem *consequi*, ut ei conveniat in secundo modo dicendi perse, quod volunt *Scholastici*, & axiomata eorum *Logica & Methaphysica*, in quæ quicquid impingit, *contradictorium & absurdum* est. Resp. (1) *Sententia Cartesii* de identitate extensionis, localitatis & corporis *sumitur, non probatur.* (2) *Confunditur extensio & circumscriptio loci interna & externa.* (3) *Multi Scholastici sunt, ut, Scotus, Biel & Franciscus Maronis in 4. sent. dist. XI*, quibus extensio & *localitas externa* à corpore videtur *separabilis esse*, & ipse *Aristoteles 4. Phys.*

Phys. 1. it. 2. Metaph. 4. & 2. de celo 4. locum tantum corpori corruptibili & propter mortalem infirmitatem assignat. (4) Idem apertissime docet effatum Christi de camelo per foramen acus ducendo, nempe manente camelo. (5) Etiam in natura *radius lucis & species visibilibus*, si non, unum corp9 esse in pluribus locis, tamen eodem loco & tempore in contrarias atqve oppositas partes motum fieri, non minore admiratione nostra evincit. (6) *Exempla Scholasticorum, que logicis & Metaphysicis regulis subjiciuntur*, non ex dictamine rationis, sed *ex hypothesibus Scholarum procedunt*, nec cum ipsis regulis confundenda sunt, ut illa statim in primo vel secundo modo dicendi per se competant, quæ illi competere dicunt. (7) Neque omnis regula logicorum est etiam regula Logicæ seu rationis naturalis à Deo infusæ. (8) Neque ulla causa justa est, quare propria, quæ in secundo modo dicendi per se esse dicuntur, divinitus separari non posse credamus.

Instant: *Implicat, corpus unum & finitum esse simul non-unum & infinitum, item simul totum & non-totum*: at verò, si pluribus vel infinitis locis existat, aut iis erit coextensum, & sic non ubique totum, aut erit à seipso divisum, & sic non amplius unum. Resp. (1) *Unum, totum & finitum essentia, potest esse multiplex & infinitum relatione & virtute*; sic diverso respectu tollitur contradictio. (2) Ut defectus nostri intellectus circa modum positivè concipiendum non impedit, quo minus *omnipræsentiam Dei substantialem absqve extensione & divisione sui esse agnoscamus*; ita neque defectus ille intellectus nostri impedire debet, quò minus aliquam talem in corpore Christi possibilem agnoscamus.

3) Etiam in naturalibus *præsentia centri ad circumferentiam, lucis ad objecta illustrata, finiti corporis multiplicem præsentiam quodammodo adumbrat.*

Quæst. IX. An omniscientia divina suspendatur ab ejus decreto, ita ut nihil sciat tanquam futuribile, nisi quod ut ita fieret, decrevit? Resp. neg. quia 1) *Deus præscit peccata, quæ tamen detestatur & fieri non vult* Devt. 31, 16, Dan. 7, 25, c. 9, 27. 2) *Præscit etiam & prædicat, quæ nunquam futura erunt, ut proditorem Regilitarum 1 Sam. c. 23, 12, penitentiam Tyrriorum, Sidoniorum & Sodomitarum* Matt. 11, 21, 23. 3) *Omne decretum est intelligentis, nisi sit brutum; ideoque scientia rei, saltem ut possibilis, decreto naturaliter præsupponitur.*

Contra 1. Supralapsarii omnes, ut Beza in colloq. Mompelg. p. 519, Sa-

mucl Rbetor fortis disput. Schol. de provid. divina c. 3. Matkovius in collegio de providentia disp. 1. p. 91, Zanchius in miscell. p. 78. Spanhemius exerc. de gratia universali p. 685, Voetius T. 1. disp. select. p. 310, & ipse Calvinus (quem tamen Supralapsarium non fuisse contendit Amyraldus) l. 3. instit. c. 23, §. 6 volunt: Deum non alia ratione, quæ futura sunt, præscire, nisi quia ita decreverit, nec antecedenter ad decretum divinum ullam esse futurorum contingentium præscientiam. Atque hinc præcipuè scientiam, quæ dicitur, mediam, quæ agnoscuntur sub hypothese futura, oppugnant, ut *W. b. Twissus* tr. de scientia media, & Voetius l. c. disp. 4. Quamquam nec inter utrumque satis convenit, dum Twissus generale aliquod Dei decretum constituit de ciendis creaturis ad motus suos congruenter naturis ipsarum, unde omnis rerum futuritio procedat, quod displicet Voetio p. 290, qui contra particularibus decretis opus esse censet, & conditionata admittit.

II In specie Cartesiani, ut notatus supra ad quæst. 7. Wittichius, non tantum præscientiam rei ut futuræ, sed simpliciter omnem scientiam, etiam quæ dicitur simplicis intelligentiæ, rei nempe ut possibilis, ab eo decreto suspendunt.

In interesse ipsorum est fatalia rerum determinatio, quæ sit excludendæ prævisæ fidei in electione hominum æterna validum principium: Nostrum, illa principia evertere.

Obj. I. Etiam in prædictione eorum, quæ non evenerunt, præsupponi decretum hypotheticum, quid his vel illis positus Deus voluisset. Resp. 1) Si res simpliciter non est scibilis ante decretum Dei, quod volunt Cartesiani, tunc & ipsam hypothesein, antequam sit objectum intellectus divini, prius oportet volitam esse, & sic res evenisset contra atque accidit. 2) Si consequens, v. gr. ut Sodomæi magis convertantur per miracula, quàm Pharisæi, simpliciter pendet à voluntate Dei, malè hi eam comparisonem luunt; quia sic non ipsi Sodomæi peiores sunt, sed Deus erga ipsos minus bonus, quàm erga illos est.

Obj. 2. Si scientia Dei non pendet ab ejus decreto, pendet à rebus; quæ ita erunt mensura intellectus divini, eumque perficient, quod absurdum. Resp. 1) Dependentiæ objectiva non est realis, sed tantum secundum dici, ut voluntas pendet à voluto, quæ nunquam, nec in hypothese Calviniana, evitari potest. 2) Intellectus Dei non se habet per modum potentiæ objectum recipientis; sed per modum actus eadem ab æterno assequentis; & ita non per-

perficitur nec dependet à creaturis, aut iisdem subicitur ; sed hæc potius Deo.

Obj. 3. Si datur ens scibile ante decretum divinum, *creatura* habebit aliquid, quod non acceperit, nempe potentiam objectivè essendi in intellectu divino, *contra 1. Cor. IV, 7.* Resp. *Illà potentia est merè passiva & obædientialis, quæ non aliquid positivum est; sed positivæ potius repugnandi virtutis negatio.*

Obj. 4. Omne *scientiæ* infallibilis *objectum esse necessarium*; causarum autem secundarum cum effectu connexionem, v. gr. ut adveniente Saule Kegilitæ prodant Davidem, ante decretum divinum non esse necessariam. Resp. *Objectum* requiritur *necessarium* non in *sensu* composito, sed *diviso*, i. e. ut tantum, quatenus objectum infallibilis præscientiæ est, sit *necessarium*, non necessitate consequentis, quæli scientia eventus causa sit; sed consequentiæ, quod altera alterum inferat tanquam correlatum.

Quest. X. An omnis voluntas Dei sit absoluta, an verò detur etiam conditionata, quæ suspenditur à facto alieno; ordinata, quæ includit certam mensuram operationis divinæ, & antecedens, quæ fertur in res secundum se, citra habitam rationem circumstantiarum consideratas? Resp. neg. prius, affirm. posterius; quia harum distinctionum exempla luculenta in S. literis habentur, *conditio- nalis nempe Dev. 28, 1, 15. 2 Reg. 13, 19, ordinatæ Luc. 7, 30. Matt. 23, 37, an- tecedentis 1 Sam. 2, 30. Matt. 22, v. 9. Jer. 18. v. 7, 8, 9, 10. Jon. 3, 5. Esa. 38. v. 1, 2, 5.*

Contra Categorici communiter omnes, ut *Piscator in notis ad Vorstium c. 4, Maccovius in L. C. c. 23. p. 184, Wendelinus l. 1 Christ. Theol. c. 1. p. 71. Voetius P. 1. d. sp. sel p. 257, Spanhemius de gratia univ. p. 2219, &c.* nul- lam in Deo conditionatam voluntatem agnoscunt; plerisque et- iam illorum distinctio in voluntatem ejus antecedentem & con- sequentem displicet. Alii verò, ut *Polanus l. 2. Syn. Theol. c. 19. p. 191. Lud. Crocius in duodecade dissertation. p. 397, & reliqui Hypothesici* utram- que admittunt, sed *conditionatam per voluntatem signi* explicant. *Voetius etiam p. 293.* imprudens in conditionatum decretum inci- dit, ut *ad quest. 9.* notatum.

Interesse illorum est, negare sic gratiam universalem, & stabili- re *absolutum decretum: Nostrium, illi contrarium.*

Obj. 1. *Conditionem, à qua pendet conditionalis voluntas, aut ipsam*



ipsam quoque *velle Deum*, aut non *velle*. Si prius, *voluntatem* ejus absolutam esse, quia posita conditione ponitur conditionatum; *minus*, nullam. Resp. *Conditionem* vult *voluntate* vel *ordinata* vel *permissiva* tantum; inde adeo, quod sub conditione volita vult, non vult absolute.

Obj. II Per diversitatem antecedentis & consequentis voluntatis eandem voluntatem fingi *mutabilem*, & ab uno ad aliud procedentem, quod absurdum. Resp. *Non mutatur voluntas*, quæ simul & eodem tempore sub diversa ratione idem simul & vult & non vult, *nec ordo voluntatis divine*, ex natura objecti ad nostrum concipiendi modum denominatus, in Deo temporis differentiam statuit.

Obj. III. *Stultum* esse, Deo *affingere imbecillia vota*, & propositum finis, quem se scivit assecutorum non esse, nempe ut illud fiat potentia ordinata, quod futurum non est. Resp. *Frustratio finis* propositi, qui in decreto adhibenda potentia ordinata fundatur, *Deo indigna non est*; quia ejus propositum vel ita dictum votum & ipsum ordinatum est. Ut enim se habet executio, ita & decretum seu voluntas.

Obj. IV. *Volita esse conditionata* i. e. effecta voluntatis divinae, promissiones nempe & minas certis nexibus conjungi, id quod probent dicta à nobis citata; non verò propterea voluntatem ipsam talem esse, utpote quæ non possit pendere à rebus creatis. Resp. (1) *Voluntas conditionata* in Deo dicitur non respectu exercitii, quasi ipsa voluntas, quæ simpliciter voluntas est, non perpetuò in Deo actualiter existat, sed ab eventu suspensa hæreat, (quod absurdum foret & immutabilitati ac præscientiæ ejus contrarium) sed respectu specificationis vel objecti, ut ad objectum vel simpliciter, vel sub conditione determinetur. (2) Ita considerata voluntas, tanquam causa arguitur ab effectu; neque enim aliis nexibus junguntur promissiones & minæ, quàm quæ Deo placuerunt, alioquin falsæ essent. Hinc etiam conditio, quæ in arbitrio hominis ponitur, etiam ex decreto Dei posita esse intelligitur.

Obj. V. Omnem Dei voluntatem esse efficacem & infallibilem, *Esa. 46, 10*, cui resisti nequeat, *Rom. 9, 19*, cum omnia Deus faciat, quibus deleteretur *Pf. 115, 3*. Resp. (1) *Dicta illa præcipuè loquuntur de absolutâ voluntate*; non tamen, aliam non dari, inferunt. (2) *Voluntas est mensura rerum, ut quatenus vult Deus, eatenus etiam nexus rerum respondeat*. Sic nexus conditionis & conditionati raturus est, ctsi

etsi conditio non eveniat; item ordo operandi divinus observatur, & creatura libertati suæ ipsi decretæ relinquitur, etsi illa libertate hæc contra intentionem Dei abutatur.

Quæst. XI. An Deus idem semper velit voluntate beneplaciti, quod externa voluntate signi se velle profiteatur? Resp. affirm. quia (1) illa ipsa mandata & consilia Dei omnia, quæ voluntate signi nobis expressa sunt, sunt arcana Dei nobisque revelata, Dev. 29, 29. Act 20, 27. 1. Cor. 2, 10. Rom. 16, 26. (2) Voluntas signi juramento sæpius confirmata est, Ez. 33, 11. Ebr. 6, 13. &c.: adeoque fallax esse nequit. (3) Impossibile est, Deum mentiri Hebr. 6, 18. Num. 23, 19, dissensus autem signi à beneplacito Deum reddit mendacem. (4) Verbum Dei est verbum veritatis Eccl. 12, 10, in quo nil perversi, Prov. 8, 8, adeoque credendum, Rom. 10, 16. Mar. 16, 16: cui autem signo contrarium esse beneplacitum intelligitur, illi non creditur.

Contra Categorici plerique materialiter voluntatem signi voluntati beneplaciti opponunt, quoties ad dicta universalis gratiæ & vocationis respondent; quidam etiam formaliter & expressis verbis, ut Beza P. 2. resp. ad colloq. Mompelg. p. 173, voluntatem signi repugnare dicit arcanae, & Piscator contra Schafmannum th. 121. non semper verum esse, ait, Deum, quod lingua profiteatur, idem & velle; item, Deum præcipere, quæ fieri non vult, item resp. ad amicam col-lat. Vorstii p. 156, Zanchius in miscell. confess. de prædest. c. 1, th. 6, & Rector fortis exerc. 2. apologet. pro gratia divina c. 1. p. 109, aliique docent. Alii hanc oppositionem improbant; sed quidam tantum apparenter, ut Maccovius, qui in L. C. c. 24. p. 212. eam verbalem vocat, non realem, eo quod voluntas signi propriè non sit voluntas, sed verbum Dei; (ubi nihilominus verbum Dei manet voluntati internæ oppositum) Alii negant magis serid, ut Wendelinus l. 1 Christ. Theol. c. 1, & exerc. 1. Anti-Gerhardina §. 9, qui pro ea distinctionem inter voluntatem obligandi & efficiendi substituit; item Chamier T. 2, Panstratia l. 3, c. 8. §. 11, 13, qui inter εὐδοκίαν, seu προορισμένον βῆλῆν, quæ est efficax ad operationem, & εὐαρεσίαν seu nudam approbationem, distingvere mavult, & hoc sensu c. 3. §. 4. etiam antecedentem & consequentem voluntatem admittit.

Interesse ipsorum est eludere vocationem & promissionem gratiæ universalis: Nostrum illi contrarium, ut & veracitatem Dei adstruere.



Obj. I. Exempla S. Scripturæ apèrta oppositionem hanc testari, ut Gen. 22, 2. Deus voluntate signi præcipit immolationem Jsaaci, quam tamen voluntate beneplaciti noluit v. 12. Sic Pharaonem juslit dimittere populum, cui tamen cor obduravit Exod. 7, 2, Balaamum juslit abire ad Regem Balac, & idem tamen noluit, Num. 22. v. 20, 32 Resp. ad (I) Voluntas mandato expressa fuit beneplacito interno conformis; etsi non omne beneplacitum, (de inhibitione ultimati & consummati actus immolationis, fuerit illo mandato expressum. Placuit enim Deo, ut faceret Abraham, ad quod mandato obligabatur, quousque id non revocaret. (Sic Jonæ ejectio in mare præcepti fuit, arcani decreti ejusdem evasio, quæ ut revelata non est, ita nec revelationi contraria est. Sic in bello justo fortiter militare præcepti est efficacis non minus ac decreti, eventus in manu Domini, 2. Sam. 10, 12.) Ad (II) Placuit itidem Deo, ut dimitteret Pharaonem populum; quod & tandem fecit: sed ut cor hominis protervi emolliret statim virtute gratiæ peculiaris antea neglectæ, non placuit, neque id præ se tulit. A præcepto enim & voluntate Dei ad vires vel ex natura vel ex gratia nostras N.V.C., ut in L. de lege Dei docemus.

Ad (III) Non corripitur Bileam obiter ad Balacum susceptum, utpote quod permittitur denuò v. 35; sed ob pravum, quod animo conceperat, institutum.

Obj. 2. Non quamvis simulationem esse vitiosam vel hypocriticam, ceu docent tum stratagemata bellica, ut Josue 8, 6, & forensia, ut Salomonis 1 Reg. 3, 25, tum testimonia de facto Christi, Luc. 24, 28, & Dei, Jer. 14, 8 &c; sed eam tantum, quæ sanctitatis est.

Resp. 1) Distingvenda sunt signa significantia ex instituto & ex conjecturis; in his tanquam indeterminatis licet simulare absque jactura veritatis, (quia quisque interpretator signi sibi ipsi acceptum ferre debet, si in eo falsus fuerit) non item in illis. 2) In specie de mandato Salomonis, idem dicendum, quod supra de mandato Dei ad Abrahamum dictum est, nempe voluisse eum revera, ut fieret quod mandavit, quousque id non revocaret. 3) Sanctitatis officium etiam veritas & bonitas est; hanc qui præ se fert gratia promissa & fide promissi requisita, nec tamen intendit, in sanctitatem peccat. Quin & 4) gratiam præstat vir bonus etiam non promissam; non autem promittit, quam non præstet; atque ita periode non est, in utram partem fiat simulatio.

Quest. XII.

Quaest. XII. An vera & seria sit voluntas Dei, quae suspenditur à conditione ex decreto ejus impossibili? Resp. neg. quia (1) ex communi hominum sensu, conditionem impossibilem adjiciens idem facit categoricè neganti; & sic ipse Deus intelligi voluit. Jer. XIII, 23. c. 33, 20. (2) Si duae essent in Deo contrariae voluntates, quae idem eodem respectu, nempe quatenus a conditione impossibili pendet, & velit fieri & nolit.

Contra Hypothetici, & in his imprimis Amyraldus in animadv. ad exercit. Spanhemii contendit: voluntatem talem Dei, quae conditionem ex decreto ipsius impossibilem supponit, veram & seriam esse.

Interesse illorum est, illusoriam novam methodum, quae Lutheranam phrasin subdole imitantur, defendere: Nostrum, dolum detegere.

Obj. Voluntatem illam esse bonitatis absolutae; adeoque de re abstracte à decreto justitiae considerata; & sic perire contradictionem, perinde ut procius virginem, quam novit pauperem, ducere velit, si dotata sit? Resp. (1) Voluntas à decreto abstracta, est voluntas à voluntate abstracta, adeoque nulla. (2) Nec bonitas nec justitia realiter in Deo pugnant, ut attributorum illorum sint peculiare & realiter distinctae voluntates circa idem objectum; adeoque illud sic alterutrius attributi ab altero abstractum velle, non nisi de quadam velleitate intelligi potest, quae non dicitur, quid Deus actu velit; sed quid vellet, nisi aliud obstaret. (3) Simile est inconveniens, cum talis procius optet tamen conditionem; quod de Deo contrarium decernente dici nequit. (4) Exceptio illa Amyraldi de decreto justitiae ad absolutum decretum, quod intendit, applicari nequit, quia illud nulla justitia vel prudentia postulat.

Quaest. XIII. An lex justitiae & Sanctitatis Deo sit essentialis, an verò ex libero ejus decreto pendeat? Resp. aff. prius, neg. post. quia 1) non tantum ad voluntatem, sed etiam ad immutabilem & perfectam sanctitatem, adeoque ad naturam Dei, revocamur tanquam ad actionum nostrarum normam, Lev. 19, 2. Mal 3, 6. Matt. V, 48. 1 Pet. 1, 15. 2) Deus ab actionibus, & actiones Dei à justitia & veritate laudantur Dev. 32, 4. Apoc. 15, 3. c. 16, 7: ergo ad aliquam certam normam ejus beneplacita aestimantur. 3) Deus etiam admittit iudicium vel examen sui ex actionibus secundum regulas justitiae, Rom. 3, 4. 4) Deus ita fidelis est, ut seipsum negare, aut mentiri nequeat, 2 Tim. 2, 13. Ebr. 6, 18. Ergo mendacia non ex libero Dei decreto tantum,

tum, cujus contrarium decerni potest, turpia sunt. 5) *Dependentia creaturae rationalis etiam in genere morum ad obsequium ei præstandi obligationem est immutabilis; E. etiam jus sibi subijciendi in Deo est immutabile, nec potest ille sui inobedientiam absque contradictione injungere.* Sic lex obedientiae exigendae est aeterna, non liberi decreti. (6) *Si iustitia punitiva Deo naturalis est atque essentialis, quod statuunt plerique adversarii, dabitur sane lex iustitiae atque sanctitatis essentialis ante liberum decretum.* (A specie namque ad genus V. C.)

Contra Zuinglium l. de provid. c. 6, docet: Deum lege non teneri, adeoque unum idemque crimen respectu Dei impulsoris bonum esse, respectu hominis impulsu malum, exemplo tauri multarum vaccarum matiti, quod homini prohibitum est. Similiter Samuel Rhetorfortis de provid. div. disp. 22. p. 213, negat repugnare Deo Tò posse peccare, nisi ex hypothese liberi decreti, & disp. 29. p. 490: Deum peccata non naturaliter, sed pro libertate sua odio habere contendit. Sic etiam Tuvissus, Maccovius, & Szylowius peculiaribus scriptis apud Voetium T. 1. disp. select. p. 371, docent, omne quod iustum est, tale esse, quia Deus vult, non Deum velle, quia iustum est. Obscurius huius sententiae etiam favet Polanus l. 2. Syn. c. 26, nec non Calvinus ipse & Perkinsus, teste Voetio l. c. Praecipue autem in hac sententia oportet esse omnes Cartesianos, si consequenter suis hypothesebus velint loqui; quia ipsam essentialiam Dei & omnem ejus scientiam, & omnem possibilitatem rerum & omnem veritatem communium notionum simpliciter à libera Dei voluntate suspendunt, ut ad quaestiones IV, VII. & IX, observatum est.

Interesse adversae partis est, defendere supralapsarianismum & universalem creaturarum ad omnes etiam peccati actiones determinationem: *Nostrum, haec portenta evertere.*

Obj. I. Si Deus res. vult propter earum bonitatem vel malitiam intrinsecam, jam voluntas Dei est regulatum, non regulans, Deusque obligationi subest, quod absurdum, Resp. (1) *Distingvendum est regulatum virtualiter, quod habet rationem a priori; & formaliter, quod habet regulam realiter a se distinctam: Prius asserimus de Deo, non posterius.* (2) *Quicumque iustitiam punitivam & amorem Patris erga filium naturalem esse fatentur, non possunt illam voluntatis divinae a naturae ejus regulationem pro absurdo habere.*

Obj. II. *Peccatum in ultima formali ratione sua esse devotivum s. deviationem a lege; adeoque nil esse bonum vel malum antecedenter ad illam.* Resp. (1) *Lex Dei, vel natura nostra inscripta vel foris promulgata, est prima regula boni & mali nobis, in quantum nobis nempe innotescit, non autem DEO.* (2) *Nihil ergo est bonum vel malum antecedenter ad legem aeternam, quia est natura, & sic naturalis atque essentialis Dei voluntas; est tamen antecedenter ad legem creaturae propositam, aut voluntatem vel actionem Dei liberam.*

Obj. III. *Ut se habet intellectus Dei ad scibilia, nempe antecedenter; sic voluntatem se habere ad volibilia, bonum vel malum.* Resp. *Hypothesis Calviniana est falsa. Nam intellectus divinus ad scibile se habet consequenter; sc. novit res Deus, quia sunt saltim eminenter in Deo, & exinde in rebus creatis; non verò sunt, quia sciuntur.*



